



ASch à Cram in Saxonía ex nobili familia natus, ob insignem corporis & animi uirtutem hinc inde principum castra secutus est. Vnde magnam ob rei bellicæ peritiã existimationẽ adeptus fuit. Cum itaq; Franciscus Gallorum rex cum Heluetijs ad Mediolanum prælio decertaret, hunc Aschum magno stipendio in suam militiam pellectũ, in prima fronte cõstituit, & eius uirtute uictoriam impetrauit, anno Christi 1515. Postea in patriã reuersus, Ernesto principi Luneburgensi à consilijs fuit, cuius uirtute & dexteritate res multas magna gloria perfecit. Cum autem postea anno 1525 Thomas Muntzerus anabaptista peruersa sua doctrina ple-

bem ad seditionem excitasset, atq; in primis Thuringos aliquot à Saxonũ duce alienasset, Fridericus elector huius Aschi opera usus, rusticos prælio superauit, atq; imperata facere coëgit. Tum autem Asch à principibus petijt, ut uictis parcerent, atq; miseram plebem in suam tutelam clementer reciperent: id quod ipse etiam facile impetrauit. Itaq; ob plurimas huiusmodi uirtutes is per totam Germaniam celebris, multò celebrior factus est. Phil. Mel. in Ernest, Luneburg.